



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

BIDEVM Colonia quondam Romana iuxta Oenum in ripa Noricorum, à Boiis An. 520, capta, profligatis Romanis, Rantemsdorf, siue Ranshouen vocata fuit. Fuerunt ibi teloneum, forum, palatiumq; Regum & Principum Boiariae ante conditum Brundunum, sicut hoc testantur antiqua monumenta.

A D D I T I O N E S.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis *Arnolphus*, diuinâ fauente gratia Imperator Augustus. Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ DEI fidelibus tam præsentibus quàm & futuris, qualiter nos pro veterrimæ salutis adipiscenda mercede, nec non per supplicationem *Wichingi* venerabilis Episcopi cuidam fideli ac religioso presbytero, cui nomen *Ellimprecht*, tales res quales hæctenus in beneficium in *Rantesdorff* muneris nostri largitate tenebat; id est capellam, quã nos ibi in honorem Christi & sancti *Pangratij* à fundamentis construximus, docteq; opportuna & ornatu ecclesiastico accumulauimus, cum omnibus q̄ modo per præceptum nostrum illuc collata sunt, vel in futurum collata erunt per Dei gratiam integritè ad proprium diebus vitæ suæ concessimus, cum cultibus & ædificiis, familiis & vtriusq; sexus mancipiis, vineis & vinitoribus, censibus, agris, pratis, pascuis, syluis, cum foresto ad *Hengisse*, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molinis, viis & inuis, exitibus & redditib; terris, cultis, & incultis, q̄stis & inquirendis, mobilibus & immobilibus, vaiuersisq; appendiciis & adiacentis suis iussimus quid hoc præsens auctoritatis nostræ præceptum indè conferri. Per quod decernimus, atq; iubem; vt prænominatus presbyter ipsam capellam in *Rantesdorff* consistentem cum pertinentiis suis omni tempore vitæ suæ sub vsu fructuario teneat, habeat atq; possideat, absq; possideat, absq; villi personæ offendiculo, hac videlicet ratione, vt eadem capella cum vniuersa integritate sua post obitum ipsius ad sanctum *Philippum* Apostolum, cuius sacratissimum membrum in villa *Otinga* venerabiliter humatum est, in monumento patris *Carolomanni* regis qui ibidem corporaliter quiescit reconditur, nec non pro remedio animæ nostræ conuestatur. Ita sub iure *Oetingensis* Ecclesiæ perenniter consistat prouisorq; illius. Et vt hoc præceptum melius credatur diligentiusq; nempe irrumperente in perpetuum conferuetur, manu nostra sub eius id roborantes annulo nostro iussimus insigniri. XVI. Calendas Nouembriis ANNO DOMINI D. CCC. XLVIII. Indiçti III. Anno XI. regni Arnolphi Regis.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Henricus* diuina fauente clementia Imperator, semper Augustus. Omnibus Christi, nostrisq; fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus notum esse volumus, qualiter soluimus decimationes *S. Pangratij* in Parrochia *Ranshouen* cum prædiis, quæ iacent infra terminos istos de *Flurnesbach* vsq; *Ingratense*; deinde super montem, qui dicitur *Hounspurg* vsque ad flumen, quod dicitur *Mulebach*. Deinde *Puechperg* vsq; ad lapidem, qui dicitur *Wartstain*. Deinde ad locum, qui dicitur *Durchfert* vsque *Makkingen*. Insuper tradidimus prædia, quæ sunt infra istos terminos *Saltzperch* ad soluendas rursus decimationes *S. Pangratij* *Ranshouen*. De *Ruchobesperg* vsq; ad flumen quod dicitur *Ogete*. Deinde *Linterbach* vsq; *Riute*. Similiter quoq; soluimus decimationes de loco, qui dicitur *Oeting*. Soluetis igitur omnem decimationem in loco qui vocatur *Ranshouen*, ipsū prædium, omnesq; decimas prædij eiusdè tam de incultis quàm de cultis agris, videlicet pratis, pascuis, cãpis, syluis, venationib; piscationib; q̄stis & inquirendis eũ omni utilitate, q̄ vllò modo inde prouenire potest sup altare *S. Pangratij* in propriũ dedimus, atq; manu propria tradidimus; ea scilicet ratione, vt ad

vt ad Dei seruicium clericis ibidem manentibus quotidie stabilitū permaneat. Hæc solutio decimarum facta est & traditio earundem decimationum in conspectu Heinrici, cui ducatum ipsius regni dedimus, & Archiepiscopi *Salisburgensis*, Ecclesiæ *Ditmari & Niceni Laodicensis* Ecclesiæ Episcopi & *Perngeri Pat.* Episcopi. Terminum quoq; parochiæ imposuimus, hos eidem *S. Pangratij* parochiales terminos statuimus cum prædictis Episcopis, scilicet *Ditmaro* Archiepiscopo *Salzpurgen*. Ecclesiæ, & *Perngero* Episcopo *Pat. & Niceno Laodicensis* Ecclesiæ Episcopo: cum aliis XIII. Episcopis incipientes de *Stmarve* vsq; ad *Grüzenferven*, & *Creben*, & *Piren pach*, *Rantwvigen* & *Prunne* quoq; inde *Adiden Ritperch* quoque *Fivverfengen*, *Adelberin* & *Perchsfain*, *Rechinge* quoque & *Huluven Zangaren* quoq; per ferinam semitam capellæ *S. Georgij* martyris: Deinde *Schvartzgreben* & vsque *Auwerpach*. deinde per *Albrechtsparg*. deinde per *Purbekirchen*, deinde in flumen *Maticha*. Si autem prædictum decimationum cambium siue traditionem aut terminorum parochialium defunctionem præfatus Dux aut aliquis successorū suorum seu Episcoporum quilibet irritum ducere tentauerit, nisi resipuerit, nostri nostrorumq; regum successorum, siue Imperatorum juris sit defendere, & regia potestate retorque. Et vt hæc nostra regalis traditio stabilis & incōuulsa omni permaneat æuo, hanc chartam inde fecimus conscribi.

ADRIANVS Episcopus, Seruus Seruorū Dei, dilectis filiis, *Megenardo*, Præposito *Ranshouensis* Ecclesiæ beati *Pangratij* martyris, eiusq; fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuū. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incurfus, aut eos à proposito deterreat, aut robur quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter dilecti in domino filij *Henrici*, Illustris *Baharia & Saxonie* Ducis, precibus inclinati vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam beati *Pangratij* martyris ecclesiam, in qua diuino vacatis officio, sub beati *Petri* Apostolorum Principis tutelam, protectionemq; suscipimus, & Apostolicæ sedis priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt ordo canonicus, qui secundum beati *Augustini* regulam in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunq; possessiones, quæcunq; bona eadē ecclesia in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimēda vocabulis: Ecclesiam videlicet *S. Michaelis* cum decima, & iure parochiali: capellas in *Winkirchen*; *Hantinberge*, *Geroltisberge*, & capellam *S. Stephani* in *Brunoue* cum pertinentiis eorum: capellam *Hochberch* cum pertinentiis suis, in ea libertate, in qua frater noster *Eberhardus Saltzburgensis* archiepiscopus vobis scripto proprio rationabiliter confirmauit; vt videlicet nullus in eis præter ipsum archiepiscopum & Ecclesiæ vestræ Præpositum aliquid debeat ordinare. Sanè noualium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas præsumat exigere. Porro sacramenta ecclesiastica à Diocesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atq; Apostolicæ sedis communionem habuerit, eaq; gratis & absq; aliqua prauitate vobis voluerit exhibere: alioquin quemcunq; malueritis catholicum ad eatis antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Præposito, vel ad alterius Ecclesiæ regimen transeunte, siue tuorum quolibet successorum, nullus qualibet surreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut pars cōsiliij sanioris

noris secundum Dei timorē & beati *Augustini* regulā prouiderinteligendum? Ad hæc quoniam locus vester sic est institutus, vt aduocatus bonorum præfati ducis in partibus illis eundē quoq; loci sit aduocatus prohibem⁹, vt nec ipsi, nec alicui subministro eius liceat eundē locum iniustus grauinib; infestare; sed eū vice iā dicti ducis, sicut ipse instituit & scripto suo firmavit, cū mancipiis & possessionib; suis idē aduocatus defendere & tueri debet; eo tenore, vt querimonias tam vestras, quā mancipiorū vestrōrū audiat, & congruā iustitiā faciat: paratā verò nullā a vobis propter hoc exigat; sed tantū de horreo præfati Ducis secundū antiquā constitutionē tēpore suo accipiat. Super hæc enim nullā potestatem disponendi in claustro, vel mancipiis, aut possessionibus vestris memorat⁹ Dux eidē aduocato cōcedit; sed vt loco suo vos protegat, & æternā retributionē tantū inde requirat. Exactiones quoq; super vos, vel sup; mancipia vestra à quoquā fieri idē Dux penit⁹ interdixit. Nos quoq; hæc omnia vobis concedim⁹, & auctoritate apostolica confirmam⁹. Si autē ipse aduocatus cōtra hæc venire tentauerit, & secundò ac tertio admonit⁹ nō emendauerit, cōsilio & auxilio præfati Ducis ipsa Aduocacia ab inutili auferatur, & ali⁹ idoneus ei⁹ loco substituat⁹: seputurā quoq; ipsi⁹ loci liberā esse cōcedimus, vt eorū deuotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte ex cōmunicati vel interdicti sint, null⁹ obstitat. Salua tamen iustitia matricis Ecclesiæ. Decernimus ergò, vt nulli omninò hominū liceat præfata Ecclesiā temerē perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationib; fatigare; sed illibata omnia, & integra conseruentur, eorum pro quorū gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolicæ auctoritate, & Diocessani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurū ecclesiastica, secularisue psona nostræ constitutionis paginā hanc sciens contra eam temerē venire tentauerit, secundò tertioque commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redēptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autē eidē loco sua iura seruantib; sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructū bonæ actionis percipiant, & apud districtū iudicem p̄mia æternæ pacis inueniant. Amen. Datum Romæ apud S. Petrum, per manum *Rolandi* S. Romanæ Ecclesiæ præbyteri, Cardinalis, & Cancellarij, IV. Calend. Februar. Indictione VI. Incarnationis Dominicæ An. M. C. LVII. Pontificatus verò Domini *Adriani* PP. IV. anno.

EVGENIVS, Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis, *Manegoldo* Præposito *Ransbotuensis* Ecclesiæ beati *Pangratij* Martyris, eiusq; fratrib; tam præsentib; quā futuris, regularē vitam professis in perpetuū. Ad hoc vniuersalis Ecclesiæ cura nobis à prouisorie omnium bonorum DEO cōmissa est, vt religiosas diligam⁹ personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens à puritate religionis fuerit conseruatus. Ea propter dilecti in Domino filij *Henrici*, illustris *Bauarorum* Ducis precibus inclinati, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, præfata beati *Pangratij* martyris Ecclesiam in qua diuino vacatis officio, sub beati *Petri* apostolorum Principis tutelam, protectionemq; suscipimus, & apostolicæ sedis priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo canonicus qui secundum beati *Augustini* regulam in eodem loco noscitur institutus, ibidem perpetuis temporibus inuolabiliter conseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iustē

justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propicio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis: Ecclesiam videlicet S. *Michaelis* cum decima & jure parochiali & capellas *Neukirchen, Hantenberg, Geroltesperge* cum pertinentiis earum. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus omninò à vobis decimas exigere præsumat. Porro sacramenta Ecclesiastica à Diocesano suscipiatis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, eaque gratis, & absq; aliqua prauitate vobis voluerit exhibere: alioquin Catholicum quemcunque malueritis, adeatis antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulat indulgeat. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Præposito, vel ad alterius ecclesiæ regimen transeunte, siue tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut pars consilij sanioris secundum Dei timorem, & beati *Augustini* regulam prouiderint eligendum. Ad hæc quoniam locus vester est sic institutus vt aduocatus bonorum præfati ducis in partibus illis, eiusdem quoq; loci sit aduocatus, prohibemus, vt nec ipsi nec aliquid subministro eius liceat eundem locum iniustus grauaminibus infestare. Quod si fecerit, & secundo ac tertio commonitus non emendauerit, consilio & auxilio ipsius Ducis ipsa aduocacia ab inutili auferatur, & alius idoneus loco eius substituatur: sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum qui se illic sepeliri deliberauerint deuotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat salua iustitia matricis ecclesiæ. Decernimus ergò vt nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet molestiis fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat: reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia pacis æternæ inueniant. Amen. Data *Trecis* per manum *Guidonis* sanctæ Romanæ ecclesiæ Diaconi, Cardinalis & Cancellarij IV. Idus Aprilis, Indictione X. Incarnationis Dominicæ Anno M. C. XLVII. Pontificatus verò Domini *Eugenij* III. PP, anno III.

IN N O M I N E sanctæ & indiuiduæ Trinitatis *Conradus* diuina fauente clementia *Romanorum* Rex secundus. Quoniam diuina prouidente misericordia cæteris mortalibus quodammodò supereminemus, oportet vt cuius præcellimus munere, illi omninò pareamus in operatione. Eapropter omnibus Christi, nostrisq; fidelibus, tam præsentibus quàm futuris notum esse volumus qualiter nos omnipotentis Dei causa, & ob regni nostri stabilitatè firmam, & animæ nostræ, nostrorumq; parentum perpetuam salutem, ecclesiam in *Ranshouen* in

honore S. *Pangratij* martyris cōsecratam, ab auo nostro *Henrico Imperatore* Augusto piæ memoriæ fundatam, & decimationibus, ac cæteris bonis regalibus ab ipso dotatam, cum omnibus possessionibus suis, quæ sitis & acquirendis, terris, videlicet cultis & incultis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue ductib⁹, molendinis, piscationibus, de cimationibus, sub regiæ defensionis tuitione suscepimus, omnesq; possessiones cum decimis quas infra semitam ferarū (q̄ vulgo dicitur *Wiltsteich*) vel extra eadem ecclesia possidet, & quicquid liberalitate regū & imperatorū, seu donatione ducum, aut cæterorum principum, nec non elemosynis pauperum ei collatum est, nos præsentis priuilegij auctoritatē eidem confirmamus, & corroboramus. Decernimus ergo, venullis successorū nostrorū vel regum vel imperatorum dux, aut marchio, seu alia q̄libet persona, magna siue parua, huius cōfirmationis nostrę statutū infringere p̄sumat; sed præfata ecclesia & fratres Deo seruientes, q̄ juris sui sunt libera possessione in p̄petuū obtineant. Si quis autē, q̄ absit, hanc nostram confirmationē, siue corroboracionē infringere tentauerit, 50. libras auri purissimi componat, quare partem dimidiam cameræ nostræ, reliquā verò prædictæ Ecclesiæ persoluat: Vt autē hæc ab omnibus credantur & omni deinceps tempore inuiolata conferuentur, hanc inde chartam scribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, manuq; propria (vt infra apparet) corroborantes, qui præsentis aderant testes subter notari fecimus, quorum nomina hæc sunt: *Ebricho* Wirtzpurgensis Episcopus; *Fridericus* Dux *Suenorum*; *Heinricus* filius noster; *Conradus* frater noster *Traiecentis* Præpositus; *Rapoto* Comes de *Amminberch*, *Petrus* filius *Regis Danorum*; *Fridericus* filius Palatini Comitis *Ottonis*, *Baltherus* de *Lobenhausen* & trater eius *Conradus* de *Lare*; *Marquardus* de *Grimbach*; *Conradus* *Bris*, *Henricus* *Wolf*, *Bobbo* de *Ginnenpurch*, *Burchardus* de *Meniga*, & cæteri quoniam plures interfuerunt.

Signum Domini *Conradi Romanorum Regis* secundi.

Ego *Arnoldus* Cancellarius, vice *Maguntini* Archiepiscopi & archicancellarij recognoui, anno Dominicæ incarnationis M. C. XLII. Indictione IV. regnante *Conrado* Romanorum Rege secundo, anno regni eius secundo, Datum apud *Wirtzpurch* in Christo feliciter Amen.

SANCTISSIMO & Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino *Clementi*, vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, nec non ipsi vicario Christi. *Seyfridus* Dei gratia Præpositus, totusq; Conuentus ecclesiæ *Ransbrouensis*, ordinis sancti *Augustini*, canonici regulares, *Pataviensis* Diocæsis, cum orationibus deuota pedum oscula beatorum. Quoniam circa deuotionem eorum, qui se regulari disciplina humiliter submiserunt, vestra paternitas debet misericordib. visceribus abundare, & ipsos in suis grauaminibus consolari. Cum igitur ex bello inter Regem *Boëmiæ* ac Ducem *Bauariæ* iam diu habito quorū terrarū merè nos ex utraq; parte sunt frequentissimis offensionibus attingentes, miserabiliter in hominib. prædijs quoq; & ædificiis, per spolia & incendia simus adeo deuastati, vt qui aliquando cum XIV. sacerdotibus, atque aliis 50. personis deuotè domino militassemus, iam in tribus heu subsistere non possumus, nisi vestra paternitas maturet nobis auxilium impendere opportunum. Eapropter cum *Hainricus* II. Imperator *Romani* Imperij, cum Episcopis suis scilicet *Dietmaro* Archiepiscopo *Salzburg.* Ecclesiæ, & *Perngero* *Pataviensis* Ecclesiæ Episcopo ac *Nicano* *Laodicenf.* eccles. Episcopo, cū aliis XIII. Episcopis quasdam ecclesiolas quasi in muro nostri cœnobij sitas, videlicet ecclesiā S. *Michaelis*, *Neukirchen*, *Hänterperg* quoq; & *Gerolsperg* cum pertinentiis earum in p̄bendæ nostræ augmentū nobis duxerit perinde statuendas. Quas etiā recolendę memoriæ *Celestinus* Papa III. vnâ cū *Conrado* secundo

secundo *Romanorum* Rege nobis scripto suo autentico confirmauit. Sanè quia prædiorum minimè redditum retinemus, nisi prouentus eorum, qui de prædictis ecclesiis in decimis & aliis accidentibus poterunt prouenire; qui verò & nobis & personis laicalibus ex suorum paruitate non valent sufficere in nutrimentum (vt cætera prorsus necessaria taceamus). Ne verò nos contingat cum tam miserè & cõtra formã religionis pererrare limina aliena, quia vniuersa loca religiosa in terris nostris cõstituta ex horum etiã vastatione nos recipere nequeunt & seruare; & tamè extranei nostris viribus, in nostris ecclesiis impleantur, vestrà paternitatè, cuius est oues in ouili proprio confouere potius quã eiicere, prouolutis pedibus flebiliter rogamus; quatenus & prædictas ecclesias nobis pro sustentamèto concedatis in regiminis potestatè, præcipuè ppter Deum, vt cultus diuinus apud nos consuetus per talè consolationem à vestra sanctitate prodeuntè incipiat solito more cõrescere, vobis in remediũ, & Dñõ Iesu Christo in laudè & gloriam sempiternam.

Item petimus comissionem super bonis in *Grampshau*, & *Tusling*, *Elleding*, quæ *Gottingen Saltzburgeris* Diocæsis in præiudicium nobis, nostræque Ecclesiæ per decem annos detinuerunt, & adhuc detinent violenter iudices super his eligentes; videlicet Præpositum *Saltzburgeris* ecclesiæ, & Abbatem *S. Petri* eiusdem Ecclesiæ.

Item petimus Indulgentiam.

Item petimus vt Dominus noster ordinarius Ep̃s *Patau*, fauorabili comissione tam in temporalibus, quàm in spiritualib. habeat commendatos.

Item petimus, vt Dñs noster Aduocatus Dux *Bauaria* nos, locumq; nostrũ, possessiones nostras, vna cum hominib. nostris habeat in prouida defensione, tantum propter Deum, vt tenetur, nec suis, nec alienis, in quantum valuerit, cõsentiat in prædictis facere potestatem, vel exactiones.

Item petimus seruatores & iudices super Archidiaconatu nostrarum Ecclesiarum de re iudicata; scil. Præpositum *Saltzburgeris* Ecclesiæ, & Abbatè eiusdem Ecclesiæ ad *S. Petrum* ordinis *S. Benedicti*,

Itè petimus pro sepultura cuiusdã cadaveris, qui *Bernardus Ruff* dicebatur.

Item petimus sepulturam cuiusdam de *Elling*.

Item petimus iudicium & iustitiam contra *Vuocolinum* vice Dñm Ducis *Bauaria*, qui in nos & suos Ecclesiæ nostræ in septis claustris, & misit captiuationem, & turpissimam exactionem prædictos in iudices eligentes; exactio fuit, ad C. talenta.

SANCTISSIMO, & Reuerendissimo in Christo patri ac Domino *Clementi* sacrosanctæ *Romana* Ecclesiæ summo Pontifici. *Seyfridus* Dei gratia Præpositus totusque Conuentus Ecclesiæ *Ranshouensis*, Ordinis *S. Augustini* Canonici regulares, *Patauensis* Diocæseos, cum orationibus deuota pedum oscula beatorum, Sanctitati vestræ præsentibus innotescat, quod dilectum fratrem nostrum *Sibotonem* Sacerdotem, atque *Albertum* presbyterum de *Ranshouen* præsentium exhibitores constituimus procuratores in Romana curia, ad impetrandum pro nobis priuilegia, indulgentias, & omnes litteras tam simplices quam legendas, gratiam seu iustitiam continentem, contradicendum, narrandum, iudices eligendum, & recusandum, dantes eisdem procuratoribus potestatem alium cõstituendi Procuratorem in eadem Curia loco ipsorum ad omnia suprascripta, ratum habituri & firmum quicquid per dictos Procuratores vel constitutum ab ipsis, factum, aut procuratum fuerit super præmissis in Curia memorata. In huius rei testimonium præsentem litteras fieri fecimus & nostro sigillo muniri. Datum in *Ranshouen* in Natiuitate *B. Maria*, an. Dñi M. CC. LXVII.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Hainricus* diuina fauente clementia Rex omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus qualiter nos super altare sancti *Pangratij* in parochia quæ dicitur *Ranshouen* omnem decimationem ipsius prædij tam incultis quam decultis agris, pratis, pascuis, campis, syluis, venationibus, piscationibus, quæstis & inquirendis, cum omni utilitate quæ vilo modo inde prouenire potest in proprium dedimus atque tradidimus, ea scilicet ratione vt Dei seruitium à clericis ibidem manentibus quotidie stabiliter permaneat. Hęc traditio facta est in conspectu *Henrici*, cui Ducatum ipsius regni dedimus & Archiepiscopi *Salisburgensis* Ecclesiæ *Dietmari*, *Niceni Leodicensis* Episcopi & *Perugerii Patauiensis* Episcopi. Si autem prædictus Dux aut aliquis successorum suorum hanc traditionem irritã fecerit nostri nostrorumque successorum regum siue Imperatorum iuris sic defendere & regia potestate retorquere. Et vt hæc nostra regalis traditio stabilis & inconuulsa permaneat omni æuo hanc inde chartam iussimus scribi.

Catalogus Præpositorum Monasterii

Ranshouen.

- I. RAPHOLDVS rexit ann. 26. sub eo consecratum est Monasterium, ann. 1146.
- II. MANEGOLDVS vir doctus & artium Magister, sedit annos vndecim, an. ab orbe seruato 1157.
- III. MEINHARDVS, qui & *Megenhardus* Sacerdotes *D. Augustini* religionem profitentes a funde inuitatos rexit an. 5. an. 1162.
- IV. ALTMANNVS præf. an. 16. an. Dñi 1178.
- V. ALHARDVS al. ADELHARDVS decessit tertio ministerij anno, Christi 1180.
- VI. LIVTHOLDVS sedit annos sex. ex hac vita migravit, ann. C. 1186.
- VII. ETICHO rexit annos nouem an. C. 1196.
- VIII. BERITHOLDVS præf. an. 13. Christian. 1209.
- IX. WICHARDVS publica sententia evicit obtinuitque vt *Ranshouen* perpetuo absolutum sit à iure Archidiaconi *Patauiensis*. rexit annos 15. an. Dn. 1224.
- X. MARQVARDVS præfuit sex annos, vitam finiit an. C. 1230.
- XI. HENRICVS I, summa industria rem cœnobii rexit annos 15. ob. anno salutis nostræ 1245.
- XII. ORTLIEBVS præfuit annos decem: sub eo rursus instauratum cœnobium, consecratumque templum sub *Ottone* Episcopo *Patauiensi*, anno C. 1260. ob. eod. an.
- XIII. SIFRIDVS annos sedit tres & viginti; cessit administrationi & ad priuatam se redegit vitam: sextoque post mense defunctus est, anno C. 1277. Impetrauit decimas S. *Ioannis* ad *Meticham* à *Petro* Episcopo *Patauien*. Item, à *Clemente* IV. P. M. vt parochias per suos tympstas atque Canonicos administraret.
- XIV. CONRADVS I, *Burghusij* natus, Archidiaconus *Matriensis* vir diligentis, atque ingeniosiss. electus anno Domini 1277, feria tertia, quæ fuit proxima dies post festum S. *Bartholomæi*, Registrum siue libellum, priuilegia, census, prædia continentem confecit: Legatus *Henrici* Ducis *Bauariæ* ad
Ca:

- Cæs. *Rudolphum* missus, ab *Alberto* filio Cæsaris Duce *Austriæ*, immunitatem vestigalium vini impetrauit, & in numerum domesticorum sacerdotum relatus est. Quicumque eius concioni, sacrificioque interfuit, scelerib. expiatis, denum dierum venia condonabatur. Præfuit cœnobio ann. 34. ob. an. C. 1300.
- XV. **CONRADVS II.** *Brundunensis*, sicut omnium rerum est vicissitudo, diligentissimo viro parum ad rem attentus successit, multam familiam, ex more principum aluit, grande æs alienum contraxit, gubernauit Monasterium an. 21. ob. an. 1332.
- XVI. **VLRICVS I.** ob prodigalitem decessoris sui accepit leges gubernandi ab *Alberto* Episcopo *Patau.* sacellum iuxta eodem *D. Michaëlis* eo tempore *S. Spiritui* & *D. Osvaldo* extractum est ab *Vlrice* ciue *Brundunen.* an. C. 1337. rexit annos 10. ob. an. salutis 1342.
- XVII. **WERNHERVS** præf. an. 21. sub eo fundata est missa in superiori choro ab Imperatore *Ludouico IV.* migravit ex hac vita an. C. 1363. pauperum amatorem fuisse perhibent, & quam paucissimis prædia collocasse tributis.
- XVIII. **HENRICVS II.** administrauit rem Cœnobij an. 12. mortuus an. post natum Christum 1375.
- XIX. **STEPHANVS** pinxit sacellum *S. Barbaræ* an. C. 1376. gubernauit ann. 13. an. salutis 1388.
- XX. **HENRICVS III.** nomine *Gamperl,* gubernauit Monasterium an. 5. migravit ex hac vita an. 1393.
- XXI. **MATTHIAS** rexit an. 33. vita defunctus est an. 1426. humatus in medio templi, vbi eius extat monumentum marmoreum.
- XXII. **HENRICVS IV.** cognom. *Prellar* æs alienum conflauit, amotus est à Præpositura, iterum tamen postea electus præf. ann. 9. obiit. anno C. 1435.
- XXIII. **ERASMVS** *Rüdmund.* gubernauit an. 9. ob. à nat. Christian. 1444. posuit primum lapidem fundamenti templi *Brundunensium* quod modo extat, ann. C. 1439.
- XXIV. **FRIDERICVS** *Gundersdorffer* peimus religionis collapsæ iugum seuerius sylvistis suis imposuit, decreta dedit: ad præscriptum modum dormire; precari coëgit, monasteriumque vt appellant, reformauit iuxta *D. Augustini* dogmata: tum nouæ leges victitandi, potandi, cubandi, psallendi, tacendi, vestiendi, deprecandi datæ cœnobis reperiuntur. Præfedit annos duntaxat quatuor, ob. an. salut. 1448.
- XXV. **VLRICVS II.** *Pucher* cognominatus, ante Decanus, præfuit tres ann. ob. mortem an. 1451.
- XXVI. **THOMAS** *Wittl* rexit annos vndecim, migravit ex hac vita an. 1462. Euangeliorum nouū codicem, quem plenarium vocant faciendum curauit.
- XXVII. **ERHARDVS** *Gossenperger* imprudens rerum humanarum fuit: re familiarem neglexit, æs alienum contraxit: sexto itaque honoris anno amotus est, vixitque priuatus an. 25. ob. an. 1493.
- XXVIII. **WOLFGANGVS** hospes, & aduena post *Erhardum* dignitate motū euocatus ex *Tyrenstein Austria* Monasterio oppidoque. vir rei familiaris peritissimus, alter Monasterij conditor, primum lapidem templi *D. Michaëlis* quod modo extat in *Ransbouen* pone Monasterium posuit, an. C. 1474. rexit an. tres & viginti, an. sal. 1491.

- XXIX. LEONARDVS *Callinger* succedit *Wolfgango*, gubernauit Monasterium an. tantum modo tres, menses sex. amplauit *Stubam* Prælatorum superiorem, migrauitque ex hac vita. an. 1499.
- XXX. BLASIVS *Rosenfingel*, construxit ædiculam sacram B., *Marie* in ambitu, præfuit cœnobio annos ferè decem: elemosynarius fuit, calceos è pedib. detractos pauperibus dedit, mortuus est ægritudine animi octuagenarius flexis genibus an. C. 1504.
- XXXI. CASPAR *Tirndl* à *Muldorff* oriundus, vir humanus modestusque, rerù humanarum pariter ac diuinarum peritissimus, atque diligentissimus, in tanto tumultu rerum suffragio succedit; pleraque redimendo emendoq; cœnobium non parum ditauit, licet multas calamitates in bello perniciosissimo perpeffus fuerit.
- XXXII. AVGVSTINVS cognomine *Münich*, vir prudens, sobrius, rei familiaris, litterariæ atque Ecclesiasticæ studiosissimus præfuit annos 31. an. Dn. 1566. obiit VII. Cal. Nouembr. ætatis suæ plus minus 78.
- XXXIII. ADAMVS *Gensleidner* vir exquisitissimi ingenij, pius, liberalis, rerumque domesticarum studiosus, præfuit annis 26. obiit die S. *Ruderti* an. C. 1587. ætat. suæ 55.
- XXXIV. STEPHANVS *Hoffer* præfuit annos 23. prudentia & charitate, humilitate, probitate pollens; tandem obiit 29. Iulij Anno 1610. ætatis suæ 56.
- XXXV. HILARIVS *Steuer* Budvicensis Bohemus, annos propemodum decem hoc Monasterium gubernauit, altaria construxit, Romanum cauetandi more inuexit; humanitate, prudentia & mansuetudine suos moderatus est alumnos, tandem post multas ægritudines ob. 4. Febr. an. 1620. ætatis suæ trigesimo nono.
- XXXVI. PHILIPPVS *Federl* modernus Præpositus, eligitur die vigesima secunda mens. Martij, hoc ipso an. 1620. cui numen faueat.

RAMSAU ORDINIS S. AVGVSTI-
NI MENDICANTIVM.

*Ant. lib. 7.
fol. 81.*

GEORGIVS de *Fraunberg*, de *Hag*, habitans in castro *Hohenburg*, infra *Wasserburgum* iuxta *Oenum*, *Ramsau* Monasterium pro Augustinianis fratribus mendicantibus construxit, in Comitatu *Hagensi*, an. 1412. aliàs 1414. *Albertus* Episcopus *Ratisponensis* consentit, & dat Parochiam in *Kirchdorff*, ad quam *Ramsau* tanquam filia pertinebat, è conuerso Dominus *Georgius* renunciauit iuri pignoris, quod habebat in prædicto castro *Hohenburg*, hoc modo vt Ecclesiæ *Ratisbonen.* post mortem suam libere atque absque vlla refulsione cederet, &c. Idem *Georgius* Monasterio huic *Caploniam*, vt vocant S. *Nicolai*, *In der Weytaw im Luchenthal zum Spital genant*, fundatam olim à Nobilibus de *Velbm*, quam ipse & sui Antecessores, nescio quo titulo multis annis possidebant, auctoritate Pontificia tradidit ac vniuit, anno Domini 1426. Prædicta *Caplonia* aliàs pertinet ad Parochiam S. *Ioannis*, cuius verus Pastor ac Ordinarius est Ep̄s *Chiemensis*, &c. cui Capellani pro tempore per Priorem & Conuentum in *Ramsau* præsentari solent.

ADDITIONES.

Sicutus Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri Archiepiscopo *Salzburgen.* salutem & Apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Prior & Con-